Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ihesus distribuit. incipit a caleph. Data est enim huic caleph portionis suae sors.
postquam tribus sua quae est filiorum iuda percepit. et datur ei non in extremis aliquibus partibus sed in
medio filiorum iuda. et data est ei portio non per sortem. sed per praeceptum domini. et datur ei ciui
tas integra. Quem alium dignum erat talem consequi hereditatem. et talem percipere porti
onem. nisi caleph qui solus saluus effectus est cum ihesu naue de sexcentis milibus armatorum
qui exierunt de egypto. Ipsum oportebat accipere metropolim. et ideo scriptum est. Dedit ei
ihesus ciuitatem arboc metropolim enach quae est chebron. in qua erat memoriae patrum. Hic ergo
suscepit ciuitatem arboc quae erat metropolis enach. quae est chebron. et exterminauit inde
III. filios enach. Quid putas nobis uelit ostendere scriptura. Tertia haec designat quod caleph
accepta portione hereditatis suae tres filios enach exterminauit. et quorum nomina
eorum descripsit. id est susi. et achimaac. et thalamyn. generationes enach. Videamus
ergo quid est. quod nec sufficit ei dicere filios enach. sed et nomina ipsorum addit. et super omnia ad
iecit. Istae erant generationes enach. Sed et in consequentibus refertur. quod accepta he
reditatis sorte caleph ascendit ad eos qui habitabant dabyr. Nomen autem dabyr. erat
prius ciuitas litterarum. Videndum ergo est quod prius erat ciuitas litterarum. et postea facta est ciuitas
dabyr. Propterea refertur. quod et filiam habens caleph. proposuerit talem conditionem
dicens. Qui cumque excidere potuerit ciuitatem litterarum. et obtinuerit eam. dabo ei as
cha filiam meam uxorem. Cumque ille hoc proposuisset. gothoniel filius cenez frater caleph iu
nior. cepit ciuitatem litterarum. Sed istud questionis scripturae sanctae posuerunt. Si tamen
ut diximus nichil ociose in his uerbis praetereundum est. quod gothoniel frater esse dicitur caleph. et ca
leph filius scribitur iephone. et gothoniel filius cenez. Quomodo ergo uidebitur frater esse ca
leph. qui non est filius iephone. Sed ille dicitur filius iephone. iste autem filius cenez. qui dicitur cepisse
ciuitatem litterarum. de quo additur. quod et iunior erat. et pro conditione uirtutis merito
accepit ascha filiam caleph uxorem. qui excidit et perdidit ciuitatem litterarum. Exiens
autem de domo patris sui ascha quae ei ex certa conditione nuptum tradita est. sedens super
asinum. dicebat uiro suo. Petam a patre meo portionem agri. Et exclamauit de mon
te. Et dixit ei caleph. Quid est tibi. Et dixit ei. Da mihi benedictionem. quia in terram austri nup
tum me tradidisti. Et accepit gonethla superiorem. et gonethla inferiorem. et concludit
in his scriptura dicens. Haec est hereditas tribus iuda. Videtis quia uere auxilio dei opus est. ut
haec explanari queant. et inpossibile prorsus est ullum hominum de his disserere. nisi
illuminatus per dei gratiam fuerit. Ideo ergo iuuate me orationibus uestris. et mecum pari
ter laborate. ut dominus in istis tam obscuris et absconditis locis lucem intrantis
dignetur nobis ostendere. ut et nos uobis possimus aperire quomodo haec uera et utilia et